



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Lerna Malorum Omnium; Sive Gravitas, Et Damna Peccati Mortalis**

**Arias, Francisco**

**Monachii, 1648**

Cap. XVI. Quomodo ex his pœnis peccati mortalis gravitatem colligere  
debeamus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46756)

ipfas, & per pœnitentiam noſtrorum peccatorum, vitæque emendationem fugiendas mouere debet. *a* *lbunt* (inquit Chriſtus de ſententiâ contra malos ferendâ loquens) *in ignem, & ſupplicium æternum.* *b* Et S. Paulus dicit ijs, qui non obediunt Euangelio, *ai pœnas peccati ſui dabunt æternas.* Et Angelus, quem vidit S. Ioannes, affirmat de omnibus ijs, qui Diabolum ſecuti ſunt, eiq; peccando obediêrunt, ipſo miſſum iri in ignem, & *fumum tormentorum* quæ patientur, *aſcenſurum in ſecula ſeculorum*: *c* nam ſicuti æternus eſt ignis, ſic fumus ex eo exiens æternus erit.

*a* *Matth. 25. 46.* *b* *2. Theſſ. 1. 9.*

*c* *Apoc. 14. 11.*

*Quomodo ex his pœnis, peccati mortalitatis grauitatem colligere debeamus.*

### CAP. XVI.

**E**X his tantis, tamque horrendis inferni pœnis, & ex hac æternâ illius duratione clarè immenſa peccati mortalitatis

talis gravitas colligitur. Cum enim Deus sit infinitæ misericordiæ Dominus, & fons infinitus, atq; æternus misericordiarum, & consolationum, & quilibet habeat iustitiã punitivam, eamq; æstimet, & exerceat, plus tamen de misericordiã sibi placet, eamque multo magis exercet; & cum animas à se creatas, suoq; sanguine redemptas infinito amore diligat, & earum salutem desideret, tantiq; æstimet, ut ad salvandas illas homo factus sit, & vitam dederit; nihilominus propter mortale peccatum eas in perpetuum à gloriã suã repellat, & talibus poenis afficiat, atq; has poenas non solum infligat hominibus, qui semper mali fuerunt, sed etiam ijs, qui cum boni fuissent, iustitiã, sanctitatemq; amiserunt, & in peccatum mortale lapsi sunt; nec solum illis eã infligat, qui post sanctã vitam multa peccata mortalia, in quibus sunt mortui, commiserunt, sed ijs quoque, qui cum Deo fuerint, ex quo usum rationis habuerunt, purissimè viuentes, in vnicum

aliquod mortale peccatum lapsi, & si  
ne actâ illius pœnitentiâ mortui sunt  
(quanquam enim credibile est, Deum  
non permissurum, tales homines sine  
pœnitentiâ mori, tamen si qui eiusmodi  
essent, certum, ac de Fide est, Deum  
ipsum eâdem pœnâ affecturum, & in  
articulo mortis in ignem æternû trans-  
missurum) quis non timeat, & tremat.  
Et quis poterit cogitare, quanta sit  
mortalis peccati grauitas, quando  
Deus tam bonus, tam pius, & tam sua-  
uis, si tempore reddendæ rationis in-  
ueniat animas, quas ipse tantopere  
amat, & homines, qui ei tantum ser-  
uiêrunt, in vnico peccato mortali, ip-  
sos propterea condemnat ad tantas,  
tamque omni fine carentes pœnas,  
quàm sunt pœnæ inferni? Vniantur  
sanè in vno omnes intellectus humani,  
& Angelici, & immorentur cogitandæ  
grauitati mortalis peccati, quod talem  
pœnâ meretur; quantumuis eam con-  
siderent, & vsq; ad finem mundi pon-  
derent, certum est, nunquam ratione  
illam

illam comprehensuros, nec intellectu, voluntateq; dignè ponderaturos esse: cum enim sit contra Deum, maiestatem infinitam, habet ex hoc capite infinitatem, adeoq; excedit omnem cogitationem, ac ponderationè creature, & solus Deus, qui seipsum comprehendit, eam perfectè cognoscit, & in vero suo gradu æstimat, vt tantâ ipsam pœnâ mulctet. Nobis satis eò huius veritatis Fidem habere, vt peccatum, quod talem in se gravitatem habet, talemque pœnâ meretur, oderimus, & summâ cum diligentia fugiamus. Atque hinc magnoperè nos decet has æternas pœnas considerare, vt fructû istum ex earum consideratione colligamus; quemadmodum omnes Sancti, Dei que serui, quidam in principio suæ conversionis, alij per totam vitam suam, vel certè per magnam eius partem fecerunt. a S. Antonius Abbas (S. Athanasio referente) cum vitam sanctissimam, in quâ vsque ad mortem perse-

H 7

uera-

a *D. Athan.*

aerauerit, inchoasset, Diabolus ei va-  
 rias, & grauissimas tentationes sugge-  
 rebat; ille vero animæ suæ oculis tor-  
 menta æterna obijciebat, & hac consi-  
 deratione eas vincebat. *a* De Marti-  
 niano admirabilis vitæ Monacho scri-  
 bit Metaphrastes, cum in atrocissimi-  
 tentatione, quam à Diabolo patieba-  
 tur, proximè ab interitu abesset, con-  
 siderasse eum pœnas inferni, utque  
 meliùs illas sentiret, *in medium ignem*  
*insiluisse, & cum torto corpore cepisse*  
*comburì, sibi ipsi dixisse: Cogita æter-*  
*num illud supplicium, ad quod pecca-*  
*tum mortale ducit: Si hic ignis, qui est*  
*ad tempus, & ab aquâ extinguitur, ita*  
*sentitur, estque tam difficilis ad pa-*  
*tiendum, quid erit de illo, qui est æter-*  
*nus, nec unquam extinguetur? Sic ten-*  
*tationem, quæ ipsum iam propè vici-*  
*erat, vicit, deque negligentia suâ seuer-*  
*ram pœnitentiam egit. b* Sanctus Gre-  
 gorius de Petro quodam Hyberno Mo-  
 nacho, qui tepidè viuere cœperat,

*a Sur. in Febr. b D. Greg' l. 4. dial. c. 28.*

in peccata aliqua inciderat, refert, Deum, cum ipsum misericorditer ex illo culpæ somno excitare vellet, ostendisse ei miraculoso modo inferni supplicia, atque hac visione Monachum ita vitam mutasse, fugiendo quamlibet Dei offensam, tamque asperam pœnitentiã agendo, *ut inferni eum vidisse tormenta, etiamsi taceret lingua, conuersando loqueretur.* Sic S. Gregorius. Magnam hæc consideratio vim habet, multumque ad agendam pœnitentiam, & vitam emendandã prodest: Crebrò illã vtamur; & licet nos exerceamus in alijs considerationibus de diuinis beneficijs, de mysterijs Christi, & de Dei perfectionibus, quæ solantur nos, vehementerq; ad amandum Deum, ad confidendum in ipso, eiusq; gloriam sperandam mouent, tamen non omittamus nos identidem, in hac quoque æternarum pœnarum consideratione, quæ nobis ita peccati mortalis gravitatem manifestat, nosque ad timendum illud, ad fugiendum valde mouet, exercere. Et est hæc  
confi-

consideratio tanti momenti, ac fru-  
 ctus, tamque voluntati Dei consenta-  
 nea, ut per eam S. Ioannes Baptista ma-  
 gnos peccatores ad poenitentiam mo-  
 ueret, dicens: *a Facite fructum dignum  
 poenitentiae*, qualis scilicet hominibus  
 valde ex corde, & cum vitae mutatio-  
 ne, veram poenitentiam agentibus con-  
 uenit. Attendite, & considerate, quo-  
 niam *omnis arbor* (id est, omnis homo)  
*quae non facit fructum bonum, excidetur  
 de vita, & in ignem aeternum mittetur.*  
 Et Christus D. N. aeterna sapientia,  
 saepe nobis hanc considerationem ob  
 animae oculos ponit, ut in eam nos exer-  
 ceamus. Id quod praesertim fecit in  
 sermone coenae, dicens: *b Ego sum vi-  
 tis: vos palmites: qui manet in me, & ego  
 in eo, hic fert fructum multum: & si quis  
 in me non manserit, mittetur foras, sicut  
 palmes, & arescet, & in ignem eum mit-  
 tent, & ardebit.* Quasi diceret: Ego se-  
 cundum humanam, quam assumpsi,  
 naturam similis sum viti, & vos, qui  
 eius.

*a Matth. 3. 8, b Ioannis 15. 5.*

eiusdem estis naturæ, similes estis palmitibus; & sicuti palmes, quando est in vite, virtutem ab eâ accipit, & fert fructum; sic qui mecum per Fidem, & Charitatem fuerit vnitus, multum virtutum, meritorumque fructum feret: sed qui hoc modo mecum, ob Fidei, aut charitatis defectum, vnitus non fuerit, instar sarmenti, quod de vite præcisum, & extra vineam proiectum arefcit, ligatumque cum alijs aridis sarmentis in ignem mittitur, tanquam peccator, qui mecum vnitus non est, foras extra meam societatem, & Ecclesiam meam eijcietur per malam mortem, & arefcet, hoc est, omnia dona, fauoresque diuinos, & omnem, quam ad benè operandum habet, facultatem amitter; & cum sic aruerit, ministri diuinæ iustitiæ colligent eum, & cum alijs damnatis in ignem inferni mittent. In hoc, alijsque Euangelij locis excitat nos Christus ad considerationem infernalium pœnarum, vt per eas moueamur ad timendam, sentendam.

dam-

damque peccati malitiam, & ad poenitentiam de eo agendam; utque à timore poenae ascendamus ad timorem culpae, qui filialis timor est, & ad amorem legis Dei, impletionisque voluntatis eius, qui est amor amicorum, quibus consortium eiusdem Dei in ipsius gloria promittitur.

*Incipit tractari de malis, & damnis, quae peccatum mortale animae infligit: Ac praesertim quomodo per illud anima à Deo separetur, eamque Deus à se repellat.*

## C A P. XVII.

**Q**Vando homo Fidelis voluntati Dei obedit, eiusque mandata exequitur, vnitus cum Deo, & eminentissimo quodam, valdeque singulari modo vna, & eadem res cum ipso est. Ita S. Paulus testatur, dicens: *a Qui adhaeret Domino, amando eum, & illius legi se submitiendo, vnus cum eo spiritus est: id est, spiritualiter vnum cum eo fit, vnus, eiusdemque cordis, eiusdem sensus, vnus*

*a 1. Cor. 6. 17.*

*volun-*